

Petrus de Vinea

*Ep. I 26 (Inconsutilem
tunicam Dei nostri dissuere...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 26 (Inconsutilem
tunicam Dei nostri dissuere...)*

settembre 1231, Melfi

1. Fridericus, et cetera.

Inconsutilem tunicam Dei nostri dissuere conantur heretici et uocabuli uitio seuientes, quod significationem denotationis denuntiat, in ipsius indiuisibilis fidei unitate nituntur inducere sectionem, et oues a Petri custodia, cui pascendae a Pastore bono sunt creditae, disgregare. 2. Hii sunt lupi rapaces intrinsecus, eoque ouile possint subintrare Dominicum, mansuetudinem ouium pretendentes, quod post ipsorum introitum desiderant demoliri. 3. Hii sunt angeli pessimi, hii prauitatum sunt filii a patre nequitiae et fraudis auctore ad simplices animas destinati; hii sunt colubri, qui columbas decipiunt; hii serpentes, qui latentes uidentur inserpere, et sub mellis dulcedine uirus euomere ac uitae cibum se simulant ministrare, a cauda feriunt et mortis poculum uelut quoddam durissimum uenenum immiscent. 4. Horum sectae ueteribus, ne in publicum prodeant, non sunt notatae nominibus, uel, quod est forte nefandius, non contentae, ut uelut ab Arrio Arriani uel a Nestore Nestoriani, aut a similibus similes nuncupentur, sed in exemplum martirum, qui pro fide catholica martirium subierunt, "Patarenos" se nominant, uelut expositos passioni. 5. Huiusmodi uero miseri Patareni, a quibus abest sancta credulitas diuinitatis aeternae, sub uno contextu nequitiae insimul tres offendunt: Deum uidelicet, proximos, et seipsos. 6. Deum offendunt, dum Dei fidem et consilium non agnoscunt: decipiunt proximos, dum ipsis specie sub spiritualis alimoniae hereticae prauitatis oblectamenta ministrant; crudelius etiam seuiunt in seipsos, dum post animarum dispendium corpora denique seuerae mortis illecebris, quam per agnitionem ueram et uerae

fidei firmitatem possent euadere, uitae prodigi et necis improuidi sectatores inuoluunt, et quod est ipso dicto durissimum, superstites etiam non terrentur exemplo. 7. Contra tales Deo, sibi et hominibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debitae ultionis in eos gladium exeramus, tanto ipsos instantius persequentes, quanto in euidentiore delusione fidei Christianae, prope Romanam Ecclesiam, quae caput est omnium Ecclesiarum, mater et domina, iudicatur superstitionis suae scelera latius exercere. 8. Noscuntur adeo, quod ab Ytaliae finibus, presertim a partibus Lombardiae, in quibus pro certo perpendimus ipsorum nequitiam latius abundare, iam quousque ad regnum nostrum Syciliae suae perfidiae riuulos deriuarunt. 9. Quod acerbissimum reputantes, statuimus in primis, ut crimen heresis et dampnatae sectae cuiuslibet, quocumque censeantur nomine sectatores, prout ueteribus legibus est indictum, inter publica crimina numerentur; immo crimine lesae maiestatis nostrae debet ab omnibus horribilius iudicari, quod in diuinae maiestatis iniuriam noscitur atemptatum, quamuis in iudicii potestate alter alterum non excellat. 10. Nam sicuti perduellionis crimen personas adimit dampnatorum et bona dampnat, post obitum memoriam defunctorum, sic in predicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia uolumus obseruari. 11. Et ut ipsorum nequitia, in qua Dominum non sequuntur sed in tenebris ambulant, detegatur, nemine etiam deferente, inuestigari uolumus diligenter huiusmodi scelerum patratores, aut per officiales nostros, sicut et alios malefactores inquiri, ac inquisitione notatos uinculis detineri: etsi leuis superstitionis tegumento tegantur, a uiris Ecclesiasticis et prelatis examinari iubemus. 12. Per quos si inuenti fuerint a fide Catholica

saltem in articulo deuiare, ac per ipsos pastorali more prius commoniti, tenebrosi diaboli relictis insidiis, noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erroris concepta instantia perseuerent, presentis nostrae legis edicto dampnatos mortem pati Paterenos aliosque hereticos, quocumque nomine censeantur, decernimus: quod affectant, ut uiui in conspectu hominum comburantur, flammarum commissi iudicio, ut animarum incendia patiantur. 13. Nec dolemus, quod in hoc ipsorum satisfacimus uoluntati, ex quo penam solummodo nec fructum alium consequuntur erroris. 14. Apud nos pro talibus nemo interuenire presumat. 15. Quod si qui fecerit, in ipsum nostrae indignationis aculeos non immerito conuertemus. 16. Datum et cetera.